
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

1. Disputatio de Potentia in rebus.
2. Disp. de Synonymo et Paronymo.
3. Gymnasium Logicum.
4. Tractatus de Pane edit. 1641.
5. Genethlia sive Natalitia ed. 1642.
6. Delineatio Colloquii inter Valerianum Magnum, Capucinum et Henricum Nicolai.
7. Erklärung der Worte Ephes. IV. 4. secunda editio.
8. Anatome Papismi imprimis Jesuitici.
9. Nathanael Wilgner Predigt bey der Leichbegängniß Henrici Nicolai gehalten.

D. O. M. A.

Gymnasij Logici

DIATRIBE VIII.

DE

PROPOSITIONIS DIVISIONE

Disputationis loco
ad sententiarum collationem
proposita
in Gymnasio Gedanensi

PRÆSIDE
HENRICO NICOLAI,
Philos. Mag. & Professore
ordinario

Respondentis partes tenente
ERNESTO STEPHANI,
Stargardiense Pomerano.

Ad diem 14. Jannarij. S. N.
In Auditorio Philosophico
Horis destinatis.

DANTISCI, Typis GEORGI RHETI,
ANNO cIↄ. Iↄc. XXXIV.

VIRIS:

Gravissimo, Amplissimis atq; Consultissimis, Clarissimo, Spectatissimo, ac Integerrimis.

Dn. JACOBO Frosten Illustrissimi Principis Pomeraniæ â Consiliis & Illustris Pædadogij Stetinensis Capitulari. Affini & Fautori suo ætatem colendo.

Dn. GEORGIO STEPHANI Consuli Stargardiensium Pomer: ad Jnam digniss: Parenti filiali observantiâ prosequendo.

Dn. JOACHIMO Barenthin Consuli Primislaviensi. Affini apprimè observando.

Dn. CHRISTOPHORO STEPHANI Curiæ Electoralis Brandenburg: quæ est Custrini Advocato Præclaro. Patruo majorem in modum dilecto.

Dn. M. DANIELI Raderecht Gymnasij Stargardiensis Professori meritissimo: Præceptori suo quondam fidelissimo.

Dn. GVILIELMO Engelken Senatori Stargard: digniss: Affini plurimum honorando.

Dn. GEORGIO SCHVBBÆO
&
Dn. ANDREÆ BETICHIO
Tribunis Plebis Stargard: Affinib: amantissimis

Dn, Fautoribus & Promotoribus summoperè colendis has suas primitias loco Xenij ex animo omnia prospera ominante

Offerre voluit

RESPONDENS,

1.

Valdè interdum dividendum, non animi vel argutiarum causâ, sed quod usu compertum, nihil ad methodum, viam rationemq́ discendi vel docendi efficacius esse. Itaq́ Socrates interdum sequendus, divisioni amicus, & cum illo divinus vir habendus, qui commodè & opportunè utetur. Eleganter ita Lipsius C.3.misſ.ep.61. *Erit & in præsenti de* propositionis naturâ *ad explicandam plenius ejus indolem non inutilis curiosior divisionis in propositione inquisitio, Et ad acrius pernoscendum variantes propositionum species, non exiguum montentum attulerit.*

2. *Tractatio propositionis* Absoluta quà definitionem & partes *fuit. Sequitur* absoluta quà divisionem. Ea vel *præcognitionis esse potest*, vel *cognitionis*. Præcognitionis *duplex, An dividi possit propositio? 2. An specialiter hæc doctrina in Logicis tradenda, & ubinam?*

3. Quà primum, *Ratio dubij esse potest, Quia propositio est simplex quidem mentis actus, qui impartibilis est. Et non est corporeum quid. Non ergo verè divisibilis. Contra hæc habendum: 1. Propositionem esse unum actum simplicem, componentem aliquid aut dividentem, quia non tot actus compræhẽdit, quot integer discursus: Interim est actus componens, quia terminos aut membra conjungit, quæ conjunctio varijs modis formari potest, & ex his modis ipse actus componẽdi sortitur varias divisiones: 2. Actus componens non est corporeum quid E. nequit dividi in partes sc: corporeas. Secus in partes subjectivas, modos variandi, species, dividi potest. Sic accidentia in suas species dividuntur, virtus in moralem & intellectualem, justitia particularis in distributivam & commuta-*

mutativam, etsi corporeum quid non sint: Idem de divisionibus notionum secundarum habendum, qualis hæc est.

4. Qua secundum *dicendum* 1. Specialiter divisiones propositionum in Log. proponi debent. *1. Quia sunt instrumenta bonæ ratiocinationis. Ita propositiones affirmantes, negantes, puræ, modales, simplices, compositæ constituunt syllogismos. E. ordine & distinctè in Log. explicari debent. 2. Cujuslibet notionis secundæ divisiones in disciplina instrumentali explicari debent, si habeat divisiones. Secus tractatio erit manca: E. & propositionis. Nam habet divisiones, ut post patebit. Dic:* 11. Commodissimè definitioni subjungitur Divisio. *Nam definitionem rei proximè insequitur partitio.* V. d. 6. t. 14. *Et prior est affectione rei. E. bene ante illam tractatur. Et sic bene medio loco inter Definitionem & affectionem rei divisio tractabitur.*

5. *Fuit* præcognitio *hujus doctrinæ.* Cognitio *est de ipsis Divisionibus propositionum in particulari. Generaliter propositionum Divisiones sumuntur* vel à forma, (*alÿ à substantiâ vocant.* Caf. c. 10. Dial. p: 1.) vel à materia, vel à modo Enuntiandi. *A forma, quæ velut ex ipsa Dispositione Terminorum sumuntur. Et sunt sequentes.*

6. 1. Propositio est vel affirmans vel negans. Affirmans, quæ copulâ affirmatâ prædicatum attribuit subjecto. Negans, quæ copula negatâ prædicatum removet à subjecto. *Ad intelligenda hæc Nota 1. Propositionem rectius dici* affirmantem & negantem, *quam* affirmatam & negatam. *Termini affirmantur aut negantur: Propositio est Dispositio affirmans Terminos aut negans. Et hoc concedit* Piscator *Ramista* l. 2. Log. Ram. c. 2. *magnus alioquin Rami defensor: Quamvis de vocabulis usus facilis esse debet.* Conf. Cl. I. M. l. 2. dis. Ram. c. 2. q. 5. *2. A posteriori propositionem affirmantem & negantem definiri*

niri per copulas: cum Rameis V. Ramum l. 2. Log. c. 2. Piscat. c. l. à priori per attributionem aut remotionem prædicati de subjecto cum Aristotele d. int. c. 6. & l. 1. prior. c. 1. Optimè omnium jungendo utrumq; in Definitione. 3. Prædicatum attribui aut removeri latissime sumendum, s. reale prædicatum tribuatur, ut homo est animal, s. notionale, ut homo est species: s. verè tribuatur s. falso: sive secundum rem s. rationem tribuatur, s. ut realiter (quandoq; id est, non semper, ut vult Alsted. l. 6. Log. har. c. 1. nec ejus ratio quid probat) diversum, s. ratione: s. prædicatum affirmetur de subjecto, ut in simplici, sive cum eo, ut in compositâ propositione, sive absolutum, sive determinatum, s. positivum, s. privativum attribuatur. Idem de remotione habendum.

7. 4. Negativam veram esse, quando totum prædicatum removetur à subjecto, non quando pars. Vt, homo non potest currere, est negans: Homo potest non currere, est affirmans. Hic enim pars tantum prædicati negatur. Idem observandum in resolutione modalium, quæ videntur negativæ, reverâ non sunt, sed infinite affirmativæ. ut: possibile est nullum hominem currere, Contingit nullum canem latrare, Necesse est nullum leonem esse rationalem, Possibile est aquam nullam esse calidam: Hæ propositiones non sunt negantes, nec ita resolvendæ, Nullus homo possibiliter est currens, nullus canis contingenter est latrans, Nullus leo necessariò est rationalis, Nulla aqua possibiliter est calida, Hæ enim resolutiones sunt falsissimæ, & prioribus in sensu plane contrariæ: quæ resolutæ his æquipollent: Omnis homo possibiliter est non currens, omnis canis contingenter est non latrans, omnis leo necessariò est non rationalis, omnis aqua possibiliter est non calida. Hæc resolutio est competens & in negativis modalibus in Syllogismo modali cautè observanda, ut doctrina Syllogismi modalis docebit, Conf. Scharf. l. 2. Log. c. 3. & 6.

 8. Quæ-

8. *Quæritur hic,* qualis hæc divisio? *Tribus hæc quæstio explicari potest.* 1. An sit generis in species, an subjecti in accidentia. *Quidam posterius affirmant. Ex veteribus* Aphrodiseus & Burana ap. Conimb. in. l. 1. prior. c. 1. q. 1. a. 2. *ex recentioribus* Dunam. l. 2. dial. c. 2. Scheibl. d. pro. c. 2. n. 9. Greber. d. 5. Log. q. 1. Faber in l. d. int. c. 7. q. 1. *Quidam prius: ex veteribus* Ammonius, Porphyr. Philopon. Simplic. Thom. ap. Conimbr. c. l. *Ex neotericis* ipsi Conimbr. c. l. Mendoz. d. 8. Log. S. 4. §. 17. *Verè hoc. Divisio rei ex ipsa Definitione sumpta est major Divisio quam subjecti in accidentia. Nam accidentia abesse possunt à Definitione rei. Hæc Divisio est talis, ut patet ex Definitione propositionis.* V. D. 7. t. 15. *E. generis in species & oppositas differentias.* Dices: 1. Species non debēt includi in definitione generis sed abstrahi. E. nec hæ. Ita Mendoz. d. 4. sum. s. 1. §. 1. *R. Antecedens de definitione materiali rerum prædicamentalium valet. At hic notio secunda Logica tantum definitur, quæ rigidæ Definitionis requisita non potest habere.* V. c. l. t. 18. *Et sic* Mendoz. *talem definitionem admittit.* d. 8. Log. §. 16.

9. Dices. 11. *Generalis ratio axiomatis est partium Dispositio. At hæc non mutatur in specie diversam, affirmando aut negando, sed Categoricâ aut hypotheticâ. R. Ratio axiomatis est partium Dispositio, sed affirmans vel negans. Et hæc affirmatio vel negatio mutat copulas specie diversas. Alia enim est species copulæ attribuentis, alia removentis.* In esse generali copulæ conveniunt, quod copulent: In modo specifico copulandi differunt. *Sic homo & bestia in esse generali, animalis, conveniunt, in specie differunt. Sic differt speciè, attribuere & removere. E. & istæ copulæ specierum discrimen importare possunt. In copulâ verbi & conjunctionis est*

alia

alia specificatio copularum, quæ similiter specierum differentias importare potest. Ad cætera, quæ hic moventur, observa 1. Ens & negatio entis *realiter, objective, materialiter sumpta nequeunt sub uno genere esse, nam infinitè distant: Bene notionaliter & formaliter, ut ens per dispositionem attribuentem, non ens per dispositionem removentem repræsentatur. Sic utraq; est positiva operatio, aut intellectus, unde mentalis, aut vocis unde vocalis propositio oritur. Et sic dividitur Propositio, ut genus, in affirmationem & negationem, ut suas species, Plura* Conimbr. c. l. 2. *Vulgo hæc Divisio ex qualitate propositionis sumi dicitur, sed essentiali, non accidentali. Sic Divisio animalis in rationale & irrationale ex qualitate, id est, Differentijs animalis essentialibus sumitur. Differentiæ essentiales etiam in quale prædicantur, sed essentiale, ut concedit* Scheibl. int. Log. c. 3. n. 36. *Nomen* qualitatis hic vulgo usurpatur: rigidè essentia dici deberet. Vt bene Mendoz. d. 4. sum. §. 5.

10. *II. Quæritur* an sit univoca, an analoga? *Ens & negatio entis objectivè sumpta nec sunt analoga nec univoca, Nam in nullo conceptu conveniunt, sed infinite distant.* V. t. 9. *Notionaliter sumpta, ut Logicè sunt affirmatio & negatio, sunt univoca, Ex æquo enim participant esse definitionis: Ex æquo propositio negans est propositio, quàm affirmans. Et in hoc consistit univocatio divisionis: Quicquid sit de eo, quod genus, propositio, sit notio secunda, & sic ens analogicum: quicquid de affirmatione in actu exercito, quæ prior negatione: quicquid de affirmato objective, ut Ens, quod prius negato, non ens. &c.* V. Scheibl. d. prop. c. l. n. 3. 4. 11. 12. Conimbr. c. l.

11. *III. Quæritur*, an sit immediata? *Ita est. Nulla est propositio Logica, quæ non aut affirmet certi aliquid, aut neget. Propositiones optativæ, semiplenæ, affectivæ, homonymi-*

nymicæ, supra sunt rejectæ à propositione Logica. V. D. 7. t. 16. *Non tamen ex hac immediatione statim sequitur, Alteram earum necessariò esse veram, alteram falsam, Cum utraq; falsa esse possit, ut, Omnis homo est albus, Nullus homo est albus. Nisi modo Contradictorio formentur, sic altera aut necessariò vera aut falsa. Vt, Omnis homo est albus, Non omnis homo est albus. Vt in contradictione uberius dicetur.*

12. Propositio affirmans vel est finita vel infinita. Finita, quæ fit terminis finitis. *Vt homo est animal:* Infinita, quæ infinitis, *Vt homo est non leo, sive hi Termini apponantur subjecto & prædicato principali, sive minus principali.* V. Scharf. l. 2. Log. c. 5. *Nec est ratio, Cur hoc simpliciter negetur à* Nihusio. d. Log. 3. t. 6. *Si signo subjecti apponantur, faciunt propositiones negantes, Vt non omnis homo est credens: Id est: Quidam homo non est credens. De infinitis porrò observa:* 1. Quædam infinitæ æquipollent negantibus quà significationem, non quà modum significandi & proferendi, *qui semper diversus in infinita à negante. Negans copulam negat de subjecto: Vt homo non est leo: Infinita copulam affirmat, & prædicatum solitariè negat. Vt homo est non leo.* V. Dn. Höpfn: l. d. int. c. 6. *Infinitum negat significationem: Negatum compositionem.* Tolet. in l. 2. d. int. c. 1. Conf. Cl. I. M. C. 2. d. 10. q: 1. & l. 1. dis. Ram. c. 19. q: 2. *Ita ergo infinitæ de verbo infinito absoluto, æquipollent negatis, ut homo est non videns, idem ac homo non est videns.*

13. 2. Quædam infinitæ non æquipollent negantibus. *Vt illæ quæ habent verbum infinitum determinatum per potest, valet, vel simile. Sic ergò multum differunt, Homo potest non ambulare, & homo non potest ambulare. Hoc negat potentiam ambulandi, falso: Illud actum, relictâ potentiâ, verè. Et per hoc nulla ratione à* Vivel. 3. d. cau. cor.

ar. &

ar. & Ramo l. 5. Sch. Log. c. 3. & l. 6. c. 1. reÿciuntur *quod sint negantes. Nam id particulare est.*

13. Infinitæ & sæpe occurrunt in authoribus, & magnum usum in Syllogismis benè resolvendis habent. *Prius patet.* Cic. 1. off. *Corporis quædam partes aspiciuntur non decore,* & 1. parad. *An potest quisquam in abundantiâ bonorũ ipse esse non bonus? Platonis ænigma, Vir non vir, &c.* Augustin. *primus homo poterat non mori, secundus homo non poterit mori: Iudæi exacerbarunt Iehovam in non DEO* Deut. 32. v. 21. *Plura ap.* Cl. I. M. l. 3. inst. c. 6. Golen. p. 3. probl. q. 12. & 52. Bert. l. 2. Log. c. 6. *Posterius: sic: Non scintillans prope est, Planeta est non scintillans. E. Et sic. Non laborans non manducet. Otiosus est non laborans. Non credens damnabitur. Iudæus est non credens. In his & similibus minor non est negans, sed infinitè affirmans.* Subsumitur enim subjectũ minoris sub subjecto majoris, quod infallibile indicium est Minoris affirmantis. *Cũ in negante soleat à subjecto majoris removeri.* V. Sch. d. Syllog. c. 2. n. 15. 16. Goclen. p. 4. prob. q. 28. Dn. Greber d. 5. prop. q. 3. Hipp. qu. Log. 23.

14. Affirmatio & negatio est vel absoluta vel respectiva. Absoluta, *quæ absolutè enuntiat. Vt, homo est animal:* Respectiva, *quæ pro certo respectu. Vt, Ille homo qui est Philosophus, est doctus, Illud animal quod homo est, potest ambulare. Embrio est homo generandus. Non omnia bona opera justificant. Non solus homo est brutum.* Neutra aliud vel infert vel excludit vi formæ. *Sic in affirmativis, Multi homines resurgẽt. Dan. 12. v. 2. Non valet, E. non omnes. Christꝰ mortuꝰ pro nostris peccatis. 1. Ioh. 2. v. 2. E. nõ pro aliorũ. In negativis, Non sola bona opera justificant. E. tamen cum aliis juncta. Non solus Papa est judex Controversiarum fidei. E. cum aliis. Non peccatum in Spiritum Sanctum remittitur in hoc aut in futuro seculo. E. aliquod remittitur in futuro: Non ducenda uxoris soror, illa viva. E. ea mortua licet. Vt Pa-*

pistæ solent. Non qui Christum non confitentur, sunt Christia-
ni E. qui confitentur, sunt, ut Photinistæ: Non, qui bipedes
non sunt, homines sunt; E. qui bipedes sunt, sunt homines. Non
omnis homo est irrationalis, E. quidam. Ratione formæ hic
non valet illatio. Per materiam interdum valere po-
test, ut, *Non ex omni ligno fit Mercurius. E. ex quodam. Non*
omnis homo est doctus. E, quidam. Conf. Schart. l. 2. Log.
c. 3. Dn. Greber. d. 5. d. prop. c. 3. q. 4. *Latissime*
Dn. C. Mart. l. 1. anal. Log. c. 3. *Hæc negatio respectiva*
potest esse, vel in propositionibus, Vt, solus homo est leo, Non so-
lus homo est leo: Vbi hæc tantùm negat alterã, nil aliud infert:
vel in argumentationibus. Vbi quandoq; negans verè negans
amplius non est, sed fit alia, infinite affirmativa. Vid. t. 13 Huc
referri potest Distinctio negata in absolutam & privati-
vam. V. Greb. c. l.

15. Negativa vel est explicita & formalis, vel
implicita & virtualis. Explicita, *quæ signo negante debi-*
tè collocato fit: vel præmittendo signum copulæ immediate, ut
Homo non est asinus, vel mediatè per modum ad copulam per-
tinentem, Vt, homo non necessariò est albus: vel verbo copu-
lam includenti, Vt, Leo non ambulat: vel signo toti propositi-
oni præmisso, & non impedito, ut, Nullus leo est homo: (At si
impediatur, velut alia particulâ negandi, Vt, Non nullus leo est
homo, Nullus non leo est homo, est affirmata:) Vel signo τῷ
non æquipollente efferatur, ut homo, haud, haudquaquam, ne-
quaquam, nullatenus, &c. est leo. Implicita *est, quæ virtute*
neganti æquipollet. Vt sunt exclusivæ, *ut solus homo est rati-*
onalis, Exceptivæ, *ut, Omne animal præter brutum est ra-*
tionale, reduplicativæ, *ut. homo, qua animal, sentit,* Im-
possibiles, *ut Impossibile est leonem esse canem,* coarctati-
væ, *Vt Paucus, Vnus, Vnicus, exiguus, Vt, Vnicus homo rede-*
mit mundum, Disjunctivæ, *ut, aut est rationale aut ir-*
rationale. Hæ omnes æquipollent negantibus, & in illas sunt
resolvendæ, & in Syllogistica Dispositione 1. figuræ cautè obser-
van-

vandæ. Faciunt enim Minorem negantem, quod contra formam istius figuræ.

16. 11. Ex formâ propositio est vel pura vel modalis. Pura, *cujus forma nullo modo determinatur, Vt, homo est animal.* Modalis, *cujus forma modo determinatur. Estq́;* latè vel strictè dicta. Late 1. modalis composita, *ubi modus est pro prædicato. Vt hominem esse animal est necesse. Hæc verè modalis non est, sed pura, & hunc habet sensum: Hæc proposito, homo est animal, est necessaria. V. Cl. J. M. l. 3. instit. c. 12. Scheibl. d. pro. c. l. n. 30. Eoq́; non magnopere de ea laborandum. V. Nihus d. mod. p. 1. c. 1.* 2. Modalis æquivoca, *ubi qualiscunq́; determinatio dicitur modus, Vt, Omnis homo est animal. Hic omnis est determinatio universalis, & modus æquivocè dictus.* 3. Modalis materialis, *ubi vel prædicati vel subjecti materia determinatur, Vt, Omne animal quod currit, movetur. Canis currit celeriter, Petrus disputat argutè. Hæ infinitæ esse possunt, & vanè pro impugnandis modalibus à* Ramo *&* Vive *adductæ.* V. Cl. J. M. l. 2. dis. Ram. c. 4. q. 9. 4. Modalis totalis, *quando particula aliqua determinans respicit totam propositionem & quà materiam & formam consideratam, ut verum falsum, certum, incertum. Vt, Homo verè est animal Homo falso est Leo. &c. quæ Hispanus addidit modis.* V. Alsted. L. 6. Lo. harm. c. 5.

17. Stricte dicta est, quæ est formalis divisa aut ei æquipollens. *Id est, ubi modus formam & copulationem prædicati cum subjecto determinat, sive* situ *medio ponatur, ut, homo necessario est animal:* sive sensu, *ita ut resolvendus sit in medium situm Vt, necesse est hominem esse animal. Estq́;* vel primario dicta vel secundario. Primariò, *quæ modo strictè dicto (alij substantialem, essentialem, solenniorem vocant.* Alsted. c. l. *) formam propositionis determinat. Tales modi sunt 4. Nec. cont. pos. & imp. 1o* per se *& 2o* per accidens *reducuntur ad necessarium & contingens, quibus æquipollent eoq́; peculiares modos non constituunt.*

18. *De his modalibus observanda* 1. Specialis in Logicis necessitas, *quà omnino peculiariter sunt proponendæ. Nam possunt propositionem, vel veram vel falsam reddere. Et consequenter ad Logices finem multum faciunt. Sic vera, Homo est doctus, falsa, Homo necessariò est doctus. Vera modalis, Homo possibiliter cornutus, falsa pura, Homo est cornutus. Quod contra Ramum, Beurhus. Vivem, & alios notandum.* Plura Cl. J. M. c. l. *Alij majorem modaliũ usum apud Græcos esse ajunt quàm apud Latinos.* Keckerm. l. 2. Log. s. 1. c. 3. *Hoc de Philologis Latinis fortè verum: Apud Philosophos Aristoteleos sunt frequẽtissimæ.* 2. Affirmatio & negatio: *quæ penes modum spectanda, non dictum. Ita, Homo necessario est doctus, Homo nõ necessariò est doctus. Sed, Necesse est hominẽ esse album, Necesse est hominem non esse album; Non est directa negatio prioris, utraq; enim falsa: Sed hæc, Non necessè est hominem esse album.* Conf. Scharf. l. 2. c. 6. *de oppositione, conversione modalium* in seq. disp.

19. *Fuit* modalis primaria: Secundaria est, quæ modo secundario seu exponente formam propositionis determinat. *Vulgo vocant* exponibiles, *quod expositione indigeant propter difficultatem suam.* Alij *vocant modales secundarias.* Keck. ũr l. 2. Log. s. 1. c. 4. & Scheibl. d. prop. c. 7. Alij *determinatas non à signo.* Alsted. c. l. c. 8. *Quamvis idem ad divisiones propos:* à materiâ *easdem referat.* l. 24. Encycl. p. 2. c. 5. 6. Alij *negant modales secundarias dicendas, quod particulæ exponibiles non sint modi, nec formam propositionis afficiant. Sed facile tolerari ea appellatio potest. Reverâ n. tales particulæ sensu Logico formam propositionis determinãt, dum ostendunt, quâ ratione prædicatum tribuatur subjecto, an exceptivè, restrictivè, exclusivè, &c.* Etsi situs istarum vocum interdum sit pro subjectis. *Vt bene hanc rem observavit* Scharf. l. 2. Log. c. 7. *Estq; adeò resolutio harum propositionum Logica ita instituenda, ut quantum per voces licet,* in modum modalium sint formandæ *ut,*

So-

Solus homo est rationalis, id est, homo solitariè est rationalis Idem in cæteris servandum.

20. Exclusiva est, quæ signo excludente prædicatum infert subjecto. Vt, Solus Deus est infinitus, id est, Deus solitariè est infinitus. Exceptiva, quæ signo excipiente præd. infert subjecto. Vt, O. spiritus, præter Deum, est creatus. Restrictiva, quæ signo restringente prædicatum tribuit subjecto. Vt, homo, quà homo, est rationalis. Et vulgo statuitur duplex. Specificativa, cum signum restringens qualemcunq; modum habendi prædicatum ostendit, Vt, homo quà capillos est crispus. Reduplicativa, cum signum restringens ostendit causam habendi prædicatum. Vt homo, quà rationalis est docilis. Potest resolvi ita: Homo, quia rationalis, est docilis. Cætera ab authorib. petantur. Vide Mendoz. c. l Scheib. d. prop. c. 7.

21. III. Ex formâ propositio est vel simplex, vel composita. Simplex est, cujus copula est simplex, verbi scilicet: Vt homo est animal. Composita, cujus copula est duplex, & verbi & conjunctionis. Estq; copulativa, connexiva, disiunctiva & discretiva. Definitiones facilè patent. Observa, divisionem hanc esse analogam, propositio n. Simplex primò & magis est propositio, quam composita. Con. Scheib. d. pro. c. 5. n. 12. 17.

22. Tria quæri possunt 1. An propositiones comparativæ huc referẽdæ? Velut, Qualis rex talis grex, Quantum nummorum quis possidet arca, tantum habet & fidei. &c. Ramei ad copulatas referunt. V. Sch. d. pro. c. 5. n. 44. Alij ad connexivas. Id. n. 63. Quædam illarum integrum discursum implicant. V. Cl. I. M. l. 2. d. R. c. 6. q. 1. 3. Quædam in simplices redigendæ. Gutk. p. 320. syn. Lo. Rectè hæ propositiones Logicè impertinẽtes dicuntur, non enim juvant connexionem conceptuum, sed impediunt, & sunt resolvendæ in alias, si discursui aptandæ sint, aut in discursum.
2. An immediata hæc divisio? Logico sensu est: Logico enim nulla est propositio, nisi simplex aut composita. Quæ de hy-

potheticis contingentib. *adferri solent, ea vel Logicè vera hypothetica non sunt, sed tantum Grammaticè, ut, si Petrus hic fuisset, forte peccasset. Vt placet* Becano p. 1. Th. Sch. c. 10. q. 6. tr. 1. §. 5. vel sunt hypotheticæ quidem, sed enũtiativæ *tãtùm, nõ simul* illativæ, *quales in materiâ necessariâ dãtur, Vbi cõsequens necessariò infertur ex antecedẽte, ut, Si asinus volat, habet pennas. Vt placet* Mendozæ d. 4. sum. § 8. 9. 3. An discretiva addenda? *Peripatetici omittunt. Ramei ponunt. Potest obiter addi, ut omnis modus variandi propositionem per conjunctiones ostendatur:* πρώτως tamen Logica propositio non est, nec discursui apta: Eoq; rectè potius Rhetori, Oratori, *Poëtæ conceditur, nec à Logico magnopere curatur. Libando magis quam tractãdo adducitur. Et hoc rectè volunt Peripatetici.* V. Cl. J. M. l. 2. dis. Ram. c. 7. q. 1. *Nec magnoperè impugnantur â* Scheib. c. 5. n. 40. *sibi ex parte cõtrario* d. Syll. c. 10. n. 15.

23. *Fuerunt Divisiones à forma: sequuntur, quæ à materia, in quâ versatur propositio.* 1. E materiâ propositio vel est vera vel falsa. Vera, *quæ cum re consentit vel quà rem vel rationem considerata. Quà rem, Vt, homo est animal, Quà rationem, Vt, Animal est genus. Iustitia Dei præcisè concepta non est misericordia.* Falsa, *quæ dissentit à re altero modo cõsiderata. Cæterum observa hic:* 1. Veritas *hic docetur instrumentalis & Logica, non realis & Physica, quæ omnium disciplinarum est: Complexa non incomplexa.* 2. Falsum *indicando & vindicando instrumentaliter, æquè in Log. doceri debet ac verum. Aequè enim Logica falsi est index & vindex, ac veri.* Co. Cl. I. M. c. l. c. 3. q. 11. 3. Vera ut vera *propositio gradus non admittit, & si ut taliter vel taliter vera: & sic una intensius est vera, quam altera, propter plures veritatis suæ causas.* Conf. Sam. d. Lubl. in l. 1. d. int. c. 1. ar. 5. 4. Vera propositio, *debitè intellecta, nunquam est falsa, sed alibi vel planè ignoratur, vel ut impertinẽs removetur, vel diversis considerandi modis conciliatur.*

atur. Huc pertinent, quæ de una veritate, à Clariss. Philosophorum Cor. & I. Martinis, Gravero, Scheiblero, Gutkio, contra osores veritatis sunt disputata, de quo alibi. 5. Omnis propositio affirmatè vera ad Synonymam aut paronymam est revocanda, secus nullus veritatis eruendæ Terminus Logico relinquitur, quod absurdissimum. Velut si cōcedas domum, neges fundamētum: insulsè. 6. Rectius hæc Divisio à materiâ dicitur, quam cum Rameis à Judicio, quod æquè in affirmante & negante est, quam vera & falsa. Con. Cl. I. M. l. 2. di. Ra. c. 1. q. 1. & 3. Plura de veritate ad doctrinam de anima pertinent, ut benè Mendoz. d. 8. Log. § 1. & 18.

24. 11. Propositio vel est necessaria vel contingens. Divisio hæc sumitur & generaliter ut & veræ & falsæ competat. Sic, Necessaria, cujus prædicatum in omni materia procedit, Vt, verum, homo est animal; falsum, homo est asinus: Contingens, cujus prædicatum in quadam. Vt, verum, Homo est dives: falsum, Rusticus est doctus: Et specialiter, ut veræ tantum competat, ejusq; subdivisio sit. Sic necessaria, Cujus prædicatum immutabiliter cohæret subjecto, Vt, Homo est animal: Contingens, cujus prædicatum mutabiliter. Vt, homo est albus. Necessaria est vel nudè necessaria, quæ nòn attentâ materia demonstrativâ est talis, ut & universalis negans, Vt, Nullus homo est leo, & particularis affirmans, Vt, Quædam substantia est corporea: Vel apodicticè, quæ ad materiam demonstrativam est necessaria. Et cōstat 3. gradibus, κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, & καθόλου πρῶτον. Vbi requiruntur propositiones veræ, affirmantes, universales, necessariæ. De quibus multa disceptantur, quæ hic ob chartarum angustiam deduci nequeunt. V. Cl. I. M. l. 2. d. Ram. c. 3. q. 5. 6. Scheibl. d. pro; c. 4. n. 6. 7. Mendoz: d: 11. Log: s. 7. 8. Morisan: d. 11. Log:' Zabar. l. 1. & 2. d. pro. necess: aliosq;. In materia demonstrationis fortasse aliquid tradetur.

25\. III. Propositio est vel naturalis vel præternaturalis. Naturalis, *Vbi prædicatum aliquid, quod naturâ inesse potest subjecto, dicit: siue proprie, s. Tropicè intellectum.* Propriè, *ut Homo est animal:* Tropicè *Vt, Q. homo est asinus. Et huc referri potest divisio illa prop:* in propriam & impropriam; *Vt hæc quasi subdivisio sit propositionis naturalis. Vt inusitata ad præternaturalem referri debeat. Vbi nota fundamen improprietatis nunquam esse posse* in dispositione abstracte & per se sūpta *seclusis extremis, sumpta. Sed cōcretè cū extremis. Nota improprietatis est dispositio: Causa & radix sēper ab extremis est.* Præter naturalis est, *Vbi prædicatū nō potest ex ipsa naturâ inesse subjecto, sed ex alio principio.* Sive *hoc artificio sit, Vt, lapis est columna, Aes est statua:* Sive *monstro, Vt Q. equus est Cervus, Q. homo est biceps:* Sive *incompetente Terminorum situ, ut Animal est homo, herba est ruta:* Sive *miraculo, Vt Ferrum supernatat aquis, Ignis non vrit ustibilem materiam, Cæci vident:* Sive *mysterio, ut Deus est homo, Panis benedictus est Corpus dominicum. Quæ vulgò & verè inusitatæ dicuntur. Atq; ita in universum omins materia est exhaurienda, quæ in propositionib: formandis Logico offerri potest. Et hoc fundamentum negari non potest.* IV. Propo. est vel obscura vel clara. Obscura, *quæ terminis obscuris constat: Vt, motus est actus entis in potentia:* Clara, *quæ claris. Vt homo est animal. Vnde sumenda explicatio obscuritatis,* Diss. 9. *fortè dicetur.*

26\. Fuerunt divisiones prop. â materiâ: sequuntur à modo enuntiandi. *Ex hoc prop: vel est non Logica, vel Logica. Non Logica, quæ involuta, & resolvi debet, ut fiat Logica. Huc Orationes Rhetoricæ, Poëticæ, affectivæ &c. pertinent.* V. Diss: 7. t. 10. *Logica, quæ explicatè affirmat vel negat. Estq; vel univers: vel partic: vel indefinita, vel singularis. Definitiones ex authoribus petantur.*